peregrinis exposuit eis jura templi et ordinationes ad XIII puncta restrinxit. 299

(110 A) Primo praecepit, ut quilibet peregrinus emeret cereum, quem accensum portaret in processione. Intraverunt enim multi mercatores nobiscum, qui cereos et alia ibi venalia habebant. 297

2. Hortabatur peregrinos, quod in processione ordinate procederent, et ne unus alterum molestaret et comprimeret, ut etiam dictum est in VII. articulo in Rama; sed quia in illa jam fienda processione major vis est, et compressio: ideo hic eum repetiit et plures alios ibi dictos. 303

3. Quod illam noctem Deo darent, et matutinis et aliis divinis Officiis interessent sine negligentia. 293

4. Quod non facerent domum orationis domum negotiationis, et non cum mercatoribus orientalibus Christianis sederent, et tempus amitterent. 308

5. Rogavit sacerdotes, quod sine jurgio ad celebrationem Missarum procederent. Solent enim concertare de locis et omnes volunt in sancto Domini sepulchro celebrare: quod est impossibile pro una die. 288

6. Ordinavit quatuor altaria pro celebrantibus: scilicet in sepulchro sancto unum; aliud in monte Calvariae; et in loco inunctionis Christi, de quo supra dixi: et quartum in capella b. Virginis Mariae. Sunt tamen multa altaria in aliis locis per templum, sed sunt Schismaticorum et Haereticorum, ideo non celebravimus in eis. 348

7. Praecepit omnibus peregrinis, ut se cum confessionibus disponerent et sub Officio communicarent singuli. 248

8. Dedit auctoritatem omnibus sacerdotibus peregrinis et suis fratribus, qui nobiscum fuerant ecclesiam ingressi, active et passive audiendi confessiones, et absolvendi ab omnibus etiam sedi reservatis: hanc enim potestatem Gardianus montis Syon habet a Papa. 398

9. Prohibuit, quod nullus sacerdos aliquem peregrinum communicaret eucharistiam praestando in loco suae Missae: sed omnes sub summo Officio in monte Calvariae ab officiante sacramentum acciperent, nisi alicui aliud indulgeret. 198

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;